

nos, sancti Emmerammi cenobitae, cum de huiusmodi invidia tenacissima et obiectione falsissima certi simus, tanto maiores promptioresque grates Deo necnon sancto Dyonisio tunc egimus, quanto oportuniorum et mirabiliorum scripturae gladiis armatos contra omnem tam futurorum quam presentium emulorum detractationem lapideam lapideis eciam literis pro eiusdem sancti Dyonisii qualitate atque translatione nos muniunt. Inter haec quoque non inmerito notandum videtur, quantum gratiarum actio pro beneficiis iam concessis^a aput Deum optineat, quia, cum pro illius prioris inventione notati lapidis Deo gratias exhibendas necdum actu, sed tantum consilio diffineremus, mox dispensatione^b divina, sicut credimus, inventus est et alius lapis unius eiusdemque rei planior testis. Postea vero, ut ex summae trinitatis deitate beneficia tanta prestari palam daretur intelligendum, evolutis duobus aut tribus diebus invenitur etiam lapis tertius, in quo scriptum erat: 'Quinta nonas Iulii¹ furatus est. Huc venit pridie nonas Decembris tempore Tutonis episcopi'. Porro tantae vetustatis erat omnium eorundem lapidum scriptura, ut absque [dubio^c] ante annorum multorum curricula, ut adhuc probari potest, videatur facta. Cuius nimirum scripturae brevitati nichil deesse cognoscimus in hiis, quae aut nos aliquando vel alii dubitabant de sancto Dyonisio, quoniam, quis fuerit aut unde aut sub quorum regum et episcopi [regimine^c] huc translatus fuerit, in ea cernitur. Sed et^d translationis eius diem, cuius hodie festa recolimus, apertissime in eadem inspicimus.

11. Si quis autem curiose inquit, sub quo anno incarnationis Domini haec fuerit facta translatio, hoc modo conicere poterit: Computet ergo ab anno nongentesimo, in quo predictus imperator Arnolfus sexta idus Decembris obiit², usque ad instantem patefactae translationis annum, qui est millesimus quadragesimus nonus, et eundem inveniet centesimum quinquagesimum annum esse. Dehinc quia nequaquam credibile videtur, ut idem imperator, priusquam infirmitatis molestia preventus imminere sibi extremum vitae suae diem existimaret vel sancti Dyonisii ossa vel ceteras donationes supra scriptas prorsus a se alienatas sancto Emmerammo obtulerit, colligat translationis diem in lapide scriptum: 'pridie nonas Decembris', qui est quintus dies ante sexta idus Decembris^e, et inveniet procul dubio, quia in uno eodemque

a) concessis c. b) dispensacione c. c) das Wort fehlt c.
d) in c. e) Decembrys hier c.

1) V. N. IUN. nach der Inschrift, die Kraus wiedergiebt, vgl. SS. XI, 344. 2) Ueber den Todestag Kaiser Arnulfs vgl. Hirsch a. a. O. S. 412. 413.